Experimentorum de variis quibusdam cystotomiæ methodis quæ
peracta sunt a die 12. 9mbris anni 1753 in Nosocomiis [les Invalides,
et Bicestre,] illud primum referam quod a D. Morand institutum
fuit. vera nempe, et accurata Cystotomia Leseldeniana pro reliquis
dijudicandis multum inservit.

In eo ergò, quod ipse incidit, cadavere integumenta per longitudinem
trium transversorum digitorum erant incisa, satis obliquè, ut incisio
lateri ossium ischii esset parallela. non tam altè quam vulgò
fit inceperat sed satis infernè descendens ad angulum usque ejus-
dem tuberositatis pertingebat, satis erat profunda, in eo enim angulo
processerat, qui fit a protenso anterius perineo, ad retro properantes
urethram et vesicam, præcisè inter musculos erectores et accele-
ratores penetraverat, musculus ipse transversalis urethræ fuerat
divisus, vesicæ collum seu prostata rectè erat abscissa, atque incisio
parumper etiam in posteriora per duas, aut tres lineas ultra
prostatam desuper vesicam progrediebatur. Universa incisio
conum referebat, cujus basis exterior erat.

Incisio, quam D. Thomas instituit minus lateralis videbatur mi-
nus ampla, minus conica, prostata tamen æquè bene fuerat
incisa, parum autem distabat incisio ab urethræ sinistro.

D. Tris amplissima incisione laterali integumenta, internè
verò membraneam solummodo urethræ partem resecaverat
prostatam vix tetigerat et summa reliquarum partium lace-
ratio observabatur. Incisio erat ad dimidiam partem musculi
acceleratoris atque in eo cadavere lapis forte fortunâ inventus
est, quem extraxit D. Louis.

D. Blondel peculiarem encheiresim D. Donts peregit. Incisio
integumentorum vulgari scalpello instituta, situm, et profun-
ditatem Leseldennianæ imitabatur. altero verò peculiari scalpello
partem membraneam urethræ incidit, atque prostatam per
longitudinem aperuit, non quidem porrò per totam altitudinem,
atque duobus in locis vulneraverat, bis enim instrumentum
protruserat. Reiterato verò experimento in altero cadavere
totam incidit.

D^{us} Lovis expertus est cystotomum peculiarem D. Hawkins nempe facta incisione integumentorum quemadmodum in methodo Ceseldeniana, illum adegit in sulcum catheteris qui facto vulnere patebat, eumdemque catheterem anterius reclinans, et educens, illum magis magisque propellebat, visum porro est superiorem partem colli vesicæ, quæ pubis symphisi subjacet incidisse, et prostatæ reliqua pars lacerata observabatur. Alter ejusdem auctoris cystotomus proponebatur cujus alterum latus oblique, et interne magis devolutum, et explicatum erat, eoque prostata satis bene incisa fuit, sed admodum ex latere sinistro, ut aliqua corporis cavernosi pars fuerit quoque incisa.

D^{us} Thomas die 13 9mbris altera experimenta instituit in suo nosodochio (Bicestre) eadem porro fortuna, nisi quod interdum sectio magis ampla, conica, lateralis esset, etsi ad eumdem gradum cistotomus apertus fuisset.

D^{us} Tris magis interne altero hocce experimento inciderat, ita ut ad prostatam pervenisset, eamque recta secasset, sat longa porro urethræ parte prius incisa; neque vero inter acceleratorem, et erectorem musculum penetraverat; incisio tota erat desuper musculum acceleratorem.

D^{us} Lovis encheiresim F. Cosmae tentavit neque incisio erat in angulo memoratorum musculorum, sed tota desuper musculum acceleratorem sinistrum, aliquam urethræ partem, prostatam totam absciderat, reliqua sat bene nisi interna vesicae pars levi vulnere, quæ alterutram tantum membranam offenderat, fuisset veluti abrasa. Cadaver pro hoc experimento quemadmodum pro reliquis horizontaliter decumbebat.

Post longum tempus altera inde experimenta tentata fuerunt D^{us} Tris duo incidit cadavera, in altero etsi integumenta longe, lateque fissa fuissent, interior tamen incisio vix ad prostatam pervenerat: in altero ad eam quidem pervenerat non vero totam scalpello fuisse divisam ex eo judicavimus, quod in parte posteriore pene contusa, et lacera videretur.

In altero ea glandula fuerat omninò incisa; incisio porrò duas aut tres lineas supra bulbum cerasiformem fuerat incepta. utraque observabatur per longitudinem musculi acceleratoris.

D.us Louis duo pariter cadavera incidit methodo Ceseldenianâ. In primo experimentum habuit cum quodam Scalpello D.i Bouteau, utebaturque cathetere, qui licet pro longitudine satis incurvus esset, non erat tamen satis longus; hunc primum recusaverat, eo tamen usus est atque etsi externa integumentorum incisio bene perducta videretur, et Scalpellum satis longè, et fortiter adigisset, tamen in examine cadaveris neque urethram, neque prostatam, aut vesicae aliquam partem offendisse visum est.

Pro altero experimento longiori cathetere, et Scalpello angustiori usus est, et prostatam totam incidit, nec porro ultra processerat. in utroque verò experimento inter musculos acceleratorem et erectorem iisdem illesis in ipso eorum angulo penetraverat. etsi porrò integumentorum incisio rectè instituta fuisset, introducto per vulnus digito, de sufficiente longitudine interioris scrupulus movebatur, propterea quod musculi transversalis adhuc integri resistentia valida sentiretur quae quidem non sentiebatur eodem incisio, quam observationem ipse D.us Louis excitavit.

Ipse D.us Louis alterum inde habuit experimentum cum Lithotomo Fr. Cosmae, eumque peregit summâ diligentiâ, solertiâ, et accuratissimè secundum praecepta ab Auctore evulgata, verò in cadaveris examine observatum fuit in vesicae fundo vulnus fuisse inflictum, quod quidem in intestinum rectum penetraverat.